

& dicunt quod hoc lucrum est in certum, non quidem incertum est lucrum sed bene quantitas lucri, tertius modus est cum campfor dat scutos centum in auro sub pretio magnæ æstimationis Mediolani, vtpote librarum 570. & non nominat aureos sed libras, deinde vult Venetis libras totidem Mediolanenses, verum cum in ratione minutæ monetæ credatur quod 3. libræ Mediolanenses, sint 4. Venetæ, eo quod solidus Mediolanensis est  $1\frac{1}{3}$  solidi Veneti, vnde cogetur restituere  $\frac{1}{3}$  plus in libris Venetis videlicet libras Venetas 760. cumque scutum valeat solidos 135. habebis scutos  $112\frac{26}{27}$ , vel eorum valorem quo poteris redimere dictos scutos, & ita in paucis mensibus lucratur  $12\frac{16}{27}$  pro centum, & non videtur fœnerari, quartus modus est cum campfor dat Venetiis valorem, aureorum centum & sunt Mozenighi 583  $\frac{2}{3}$ , nam aureus vt diximus valet libras 7. & Mozenighus solidos 24. & vult Mediolani totidem Mozenighos quot valent aurei 100. & sunt 600. & ita ex 583  $\frac{2}{3}$  lucratur  $16\frac{2}{3}$ . hi sunt modi plerumque vsitati, fiunt & alij plures prout discurranti patebit, nam per regulas dicendas cognoscentur, verum vt plurimum his modis semper aliquid firmæ utilitatis etiam annectunt.

<sup>20</sup> Fiunt & in cambiis doli multi per quos ignari expilantur, & inter plurimos paucos recensebo ne tam velle docere videar, quam arguere. Primus est cum cambio incerto in secundo modo ex dictis, copulant 2. vel 3 pro centum, nam vt diximus cambium illud semper lucratur per se, addere autem lucro firmo certam etiam utilitatem, est vsura, & ita in omnibus aliis modis vbi perdere est impossibile, secus in expositis iacturæ vt in primo modo secundus est cum vsuram accipiendam auferunt ex capitali, vtpote accipis cambium 100. aureorum ad 10. pro 100. & ipsi detrahunt ex capitali illos decem & ita numerant 90. & volunt recipere 100, quanobrem non 10. pro 100. sed  $11\frac{1}{2}$ . accipiunt, nam 10. est nona pars de 90. & ita soluis  $1\frac{1}{2}$  plus pro 100, quam conuenisti, tertium est quod proponunt tempus vsque ad nundinas vnus mensis, tanquam sit trium, nam computum absolutum, non super tempus accipiunt, quartus est quod pacta in monetis, in aureis ignotis modis ponunt, per quæ miser principalis duplum magis soluit sapius quam existimet.

<sup>21</sup> Fiunt autem aliquando in realibus cambiis & longe frequentius in siccis fœnora intolerabilia, vt cum dant marcham auri & volunt aureos 75. nam hoc est soluere  $61\frac{2}{3}$  pro ceterum & plus, quia est ad caput 3. mensium & hoc est horribile ciuitatibus, & principes hæc tolerare non deberent, nam hoc est ruina nobilium, & ciuium, deus maxima ciuitatibus flagella propter hoc inmitit, & roma quæ gentium victrix fuit, ob magna fœnora & Imperium simul amisit & libertatem polione vendente, & vos O miseri mortales non recordamini quod *nihil prodest homini, si vniversum mundum lucretur, anima vero sua detrimentum in inferno patiatur.*

Cum vero aliquis qui non est campfor <sup>22</sup> dat pecunias campfori, vt eas recipiat alibi ab amico campforis, tunc nihil certum accipere potest quia eo quod sponte dat non nisi propter tempus accipit, cum autem ipse nullas sustineat expensas propter hoc non potest accipere utilitatem à campfore quin sit vsura.

Cambium siccum fit precise vt reale in litteris & pactis, verum litteræ non deffertur alio nec amicus principalis qui debet persolvere est aliquis talis ei amicus in veritate solitus exbursare vnquam pecunias pro eo, sed persona ficta & ideo remanent litteræ apud datorem, vsque ad tempus solutionis, tunc autem dato cum ficta protestatione, & litteris, & valore cambiorum, tanque misisset litteras repetit pecunias à principali, & ita ibidem recipit vbi exbursauerat, est igitur tanquam sit cambium reale quod solutionem in alieno loco non fuerit sortitum, & quandoque faciunt venire litteras ab amico datoris in veritate protestantes,

Est autem hoc cambium constitutum propter tria, ad vitandam infamiam, periculum, & palliandam conscientiam, nam sic propter cambij nomen non fœnatores sed campfores appellantur, fugiunt legis periculum vsuram intercipientis, & non leuem pœnam imponentis, atque inter cetera capitali nedum vsuræ amissionem, haberentur etiam infames nec possent confieri hoc autem nomine à religiosis absoluuntur, aut ignaris talium rerum, aut libros non querentibus vtrum possint sed quomodo possint absoluere.

Quod autem cambium siccum sit vsura <sup>25</sup> pessima paret 4. rationibus, prima est quod cessat in eo causa finalis cambij realis facientis ipsum licitum, & est translatio pecuniæ de loco ad locum, hæc autem cessat cum solutio fiat in eodem loco in quo etiam pecuniæ fuerunt acceptæ, secunda est quia ex tribus periculis cambij realis siccum vitat duo vltima propter primum autem non conceditur utilitas quia tale periculum est etiam commune mutuo in quo non licet quidquam exigere, igitur cambium siccum est vsura, hæc autem pericula cambij realis ordine suo superius diximus, tertia quia cum maiori tempore plus exigit, & cum minore minus sed temporalis exactio vsura est ex pecunia, quarta quia si fiat scriptura talis vt precise iacent eorum conuentiones, tunc non admittetur repetitio pecuniæ à lege, sed pro vsura habebitur, igitur cum mutatio scripturarum stante conuentione eadem, faciât contractum magis licitum quam prius, imo addat malum malo, patet cambium siccum esse viridem vsuram, hoc etiam quidam vocant cambium mortuum.

Cambium autem fictum est deterius sicco in parte, & in parte non, si enim fiat <sup>26</sup> ad terrorem contumacis debitoris quomodo licitum est, si autem vt exigatur est pessimum, fit autem hoc modo cum in contractibus etiam licitis timemus ob debitoris contumaciam in solutione indutias dari, apponunt